



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Quas pœnas incurrat promovens ad ordines absque titulo sufficienti, &
ipse promotus. 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

num. 16. Cenal. *commun. quest.* 527. num. 8. & *quest.* 561. num. 22. & 10. Garcia 2. p. de *benefic.* cap. 5. num. 186. Stephan. Gratian. *discept. forens.* cap. 159. num. 14. Azor. 2. p. *inst. mor. lib. 3. cap. 4. q. 3.* Etenim Concil. solum tibi prohibet alienationem patrimonij, vel pensionis, donec habeas beneficium sufficiens, vel vnde commodè viuas. Ergo obtento beneficio sufficienti, vel aliàs congrua sustentatione, cessat alienationis prohibitio. Dicitio enim illa, donec, est limitatiua temporis, vt tradit Cardinal. in *Clem. 2. §. 1. de arate. & qualit.* Challan. in *consuet. Burgundia.* rub. 6. §. 6. num. 8. Menoch. *conf.* 151. num. 49. & *conf.* 186. num. 11. Bertach. de *claus. instrum. cl. 15. gloss. 4. num. 1. verb. Donec*, ac proinde limitare debet prohibitionem alienationis, ne vltra procedat, quàm quousque beneficium sufficiens habeas, vel vnde commodè viuas. Neque ratio in contrarium vrger. Verba enim illa, sine licentia Episcopi, necessaria sunt quia, vt bene aduertit Garcia 2. p. de *benefic.* cap. 5. num. 188. plures casus occurrere possunt, in quibus expediat, alienationem patrimonij fieri, tametsi nec beneficium, nec victum habeas: v. g. si tu, vel tui parentes captiui existerent, expediret in eorum redemptionem patrimonium alienare. Item, si tuus pater, vel frater esset ob delictum puniendus; neque pars cessaret ab accusatione, nisi data pecunia; porteret in eum finem patrimonium distrahere. Vt ergo in his euentibus alienatio prudenter fiat, cautum est sub decreto irritante, ne fiat absque licentia Episcopi. Qua licentia concessa, Episcopus non obligatur ad sustentandum: quia in concessione huius licentia nullam culpam committit. Secus esset, si absque vrgenti causa alienationem permitteret: quia eo casu in culpa est. Alienatio autem facta, valida persistit, sicuti notauit Garcia dicta 2. p. de *benefic.* cap. 5. num. 190. Episcopus potens hanc facultatem, & licentiam concedere, est Episcopus domicilij, vel loci, vbi patrimonium situm est, vel originis, sicuti ad ordines, v docuit Garcia dicto numer. 190. Anton. Gomez *lib. 2. var. c. 147. num. 17.*

14. Sed, quid, si accepisti patrimonium ad ordines sub pacto, & conditione, vt donanti reddas, vel eo non vtraris, an tenearis hanc conditionem implere, tametsi nec beneficium, neque aliud habeas, vnde viuas? Nauarr. *cap. 27. num. 158. & conf. 16. de temporib. ordinar.* Henric. *lib. de excommunicat. cap. 37. num. 2.* Angulo *leg. de las maioras. gloss. 4. num. 9. aliàs gloss. 10. num. 5.* Rodrig. 2. *com. sum. cap. 15. num. 2.* Tolet. *lib. 1. cap. 48. vers. 5.* existimant, susceptis Ordinibus nec posse, nec valere retrodonationem: tum, quia est in præiudicium Episcopi & Ecclesie: tum, quia est à Concilio prædicta retrodonatio sub decreto irritante prohibita. Alij de contra censent, in hoc casu valere retrodonationem, imò te obligatum esse in conscientia retrodonare, postquam quod admiseris sub ea conditione donationem. Sic Auila 3. p. de *consur. disput. 5. dub. 5. concl. 3.* Suarez 1. 5. de *consur. disput. 31. sect. 1. numer. 57.* multis relatis, Sanchez *lib. 6. de matrim. disput. 32. numer. 8.* Mouentur: quia illa donatio non fuit absoluta; sed sub conditione retrodonandi: debes ergo retrodonare, aliàs donatio prius facta corrumpitur: non enim dominium rei donatæ acquirere potes, nisi pro voluntate donantis. Cùm ergo voluntas donantis non fuerit tibi dominium perpetuum concedere, sed solum, quousque Ordines recipias, res donata donanti deuoluitur.

15. Ceterum, tripliciter tibi prædictum patrimonium sicutum donari potest. Primò, verbo tenus, absque intentione donandi vel sub pacto, & conditione, ne donatum petas, neve illo vtraris: quod idem est: quia hoc pactum donationem excludit. Secundo, sub intentione donandi; sed non absolute; sed pro limitato tempore, quod non est, propriè donatum; sed commodatum. Tertiò, si tibi absolute doneat, ita, vt in tui dominium & potestatem patrimonium transeat, sub onere tamen, & obligatione, vt receptis Ordinibus donanti reddas. Si primo, & secundo modo patrimonium donatum sit, placet mihi secunda sententia, fieri debere, & valere retrodonationem; imò existimo, tibi non esse retrodonationem cum nihil fuerit absolute donatum, sed ad summum accomodatam pro aliquo tempore: quo finito deuolutio fit ad priorem dominum, sicuti notauit Quins. *Ducias lib. 3. cels. cap. 69. At, si tertio modo facta fuerit donatio, & conditio retrodonandi implenda erat post ordinem susceptum, credo, nullam tibi esse obligationem in conscientia retrodonandi; sed absque vilo scrupulo posse donationem facta vti. Ratio est: quia ea conditio, vtpote turpis, & contra legem, inualida est, & excluditur à donatione, ac si apposita non esset. Etenim decreto Trident. *sess. 21. cap. 2. de reformat.* impeditus est patrimonium, ad cuius titulum promoueris, alienare absque licentia Episcopi, donec habeas beneficium sufficiens, vel vnde commodè viuas. Sed illa retrodonatio est perfecta alienatio: ergo ad ipsam nullatenus obligari poteris, sicut bene probat Garcia 2. p. de *benefic.* cap. 5. numer. 163. & *leg. pactum, qua. Cod. de pactis.* & cap. *Diaconi. 28. dist. & cap. Secundo. 10. quest. 1.* & facit cap. *Cùm M. Ferrariensis. de consur.* vbi in irritum reuocatur, quicquid in præiudicium alienus est attentatum. In præfati autem hæc retrodonatio*

attentatur in præiudicium Episcopi, & Ordinis clericalis: ergo nullius effectus debet esse, eaque de causa etiam Doctores opposita sententia concedunt, teste Garcia 2. p. de *benefic.* cap. 5. num. 152. in foro exteriori rescindendum fore retrodonationem in penam donatoris intendenti decipere Ecclesiam, & Episcopum.

16. Illud verò omninò est certum, te graniter peccaturum, tum suscipientem patrimonium sub conditione reprobata à Concilio, tum suscipientem Ordines sub hoc titulo ita dubio. Secus esset, si tibi daretur patrimonium sub obligatione reddendi, cum beneficium sufficiens fueris adeptus, vel aliunde habeas, vnde viuas: quia eo casu nulla tibi obligatio imponitur iuri aduersa: siquidem beneficio sufficienti adeptus, vel contra sustentatione aliunde habita, patrimonium alienare potes: & notauit Garcia dicto c. 5. n. 169. Barbo. *alleg. 20. n. 31.*

17. Ad extremum aduerto, bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinatus es, non obinde fieri bona ecclesiastica; tametsi privilegio fori bonorum ecclesiasticorum gaudeant, aliàs alienari non possent ex sola Episcopi licentia vti, permittitur in Trident. sed necessaria esset solemnitas à iure requisita in alienatione bonorum ecclesiasticorum, de qua in cap. *Sine excoptione. 52. 12. quest. & cap. Nulli 5. de rebus Ecclesie non alienandis.* Gaudent autem privilegio fori, non quia ecclesiastica sunt; sed, quia sunt bona personæ ecclesiasticæ. Vide Stephan. Gratianum *disceptat. forens. cap. 159. num. 27.* Menoch. *de recuperand. possess. rem. 15. numer. 21.* Cenallos *commun. quest. 527. Cencod. pract. quest. lib. 1. quest. 11. à numer. 5.*

PUNCTVM XII.

Quas pœnas incurrat promouens ad Ordines absque titulo sufficienti, & ipse promotus.

1. Promouens obligationem suscipit alendi promotum. Excipit, nisi patrem diuitem habeat.
2. Si autem preceperit pactum de non petenda sustentatione, triennio à collatione Ordinum suspenditur.
3. Quid de ordinato statutum à iure sit.
4. Si absque titulo promotus sit, idque constitit ordinanti, suspenditur eo.
5. Si tu falsis informationibus titulum sufficientem probasti, cum tamen non haberes, graues Doctores te suspensionem esse affirmant.
6. Probabilis censura opposita.
7. Proponitur obiectio ex Trident.
8. Vti illi satis.
9. Soluuntur fundamenta n. 5. adducta.
10. Si sub patrimonio accepto sub conditione reddendi ordinatus sis, certius est non incurere suspensionem.
11. Quid dicendum spectata Constitutione Urbani VIII.

1. Aduersus promotum ad Ordines absque titulo, si in culpa sit, statuitur in cap. *Episcopos.* cap. *Cum secundum Apostolum de præbendis.* obligatio prouidendi ordinato de beneficio sufficienti, & interim omnia necessaria subministrandi. Quod aliqui, vt Flamin. *lib. 2. de rescriptis. quest. 6. numer. 28.* extendunt etiamsi ordinatus patrem habeat diuitem. Sed rectius contrarium docuit Barbo. *de potest. Episc. alleg. 20. numer. 4.* quia prædictus ordinatus absolute non eget, cum iure naturali alimenta à parente debeant ei subministrari, leg. *Cùm oportet. §. Cùm autem. Cod. de bonis, qua liberis.* leg. *Si quis à liberis agnoscendis.* Non igitur bona Ecclesie debent ei subministrari, quæ solum in subsidium pauperum, & egenorum conceduntur, iuxta textum in cap. *Clericos. 1. quest. 2.* & cap. *vlt. 16. quest. 1.*

2. Si tamen sic promotus cum promotum conuenit ipsum post susceptos Ordines non molestaturum super beneficio, & alimentis debitis à collatione Ordinum triennio suspenditur, cap. *penult. de simonia.*

3. De ordinato autem absque beneficio, vel patrimonio sufficiente, statutum fuerat in cap. *Nominem cap. Sanctorum. 70. dist. 1.* irritam fore ordinationem: quod intelligendum est quoad exercitium. Postmodum verò Innocent. III. in cap. *Cum secundum Apostolum de præbendis,* inquit: *Licet prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouerentur: in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanis nos tamen benignitas agere cupientes, tandiu per ordinatores, vel eorum successores prouidere volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur.* Idemque habetur in cap. *Si Episcopus. eodem tit. in 6.* Quapropter ex vi prædictorum textuum, si ordinatus manifestat ordinatori, se beneficio vel patrimonio caretere; nullam pœnam ordinatus incurrit: quia pœna

statuta in cap. Neminem & cap. Sanctorum. abrogata est dicto cap. Cum secundum. cap. Si Episcopus. Caterum Trident. sess. 21. c. 2. de reformat. decrevit, occasione plurimum, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt, se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere, ne quis ad factos Ordines promouetur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere, vel patrimonium, aut pensionem, quae ad vitam sustentandam satis sint, prius respecto vera ab eo obtineri, antiquorum Canonum poenas super his innovando.

Deinde ordinatus absque titulo, & pacifcens cum ordinatore, vel presentatore, de non petenda congrua sustentatione sibi debita, suspenditur ab exercitio Ordinis sic suscepti, cap. Per tuas. 3. cap. penult. de simonia. His positis.

4. Gravis est difficultas, an, si promoueris ad factos Ordines absque beneficio, vel patrimonio sufficienti, secluso praedicto pacto, & conuentione cum ordinatore, vel presentatore, aliquam poenam incurras? Et quidem, si constitit ordinanti, te praedicto beneficio, vel patrimonio carere, vel saltem illi non constitit, te pacifice beneficium possidere, vel patrimonium vere obtinere; verius existimo, non solum obligatum esse ordinatorem tibi de beneficio prouidere, & interim alimenta tubministrare ex textu nunquam abrogato in capite, Cum secundum Apostolum, de praebendis, capite, Si Episcopus, eodem titulo, in 6. Sed te ab executione Ordinis suscepti suspensionem esse: quia Tridentinum eo casu renouat poenas antiquorum Canonum: antiqui autem Canones, vt bene notauit Vasquez de Ordine, disput. 248. cap. 6. circa fin. non tam censendi sunt Canones in libro Decretalium statuti, quam illi, qui habentur in decreto, & ob antiquitatem innovatione indigent. Ergo renouat poenam suspensionis, statutam in cap. Neminem, cap. Sanctorum, 70. dist. Praeterea Concilium non solum poenam, sed poenas renouat: vitium enim numero plurali: Poenas (inquit) innovando, ergo non solum innovat poenam, sed plures poenas, argum. leg. Vbi numerus. ff. de testibus & leg. Libertas. §. vlt. ff. de manum. testamento &c. Plures licetio de reg. iuris, in 6. At in dicto c. Cum secundum, &c. Si Episcopus non plures; sed vna tantum poena, & haec aduersus ordinatorem tantum infigitur. Ergo dicendum est, innovari etiam poenam aduersus ordinatum statutam in dicto cap. Neminem, & cap. Sanctorum, Atque ita in hoc casu in quo tam ordinator, quam ordinatus delinquit, docent Nazari, consil. 14. incip. Quaesitum est alias consil. 46. incip. An promouit, num. 1. Et 3. de temporib. ordinat. Suar. de censuris, disput. 21. sect. 1. post num. 35. Campanil. diuersor. iur. rub. 8. cap. 5. numer. 1. August. Barbosa de potest. Episc. alleg. 20. num. 25.

5. Verum, si ordinanti constitit, ob falsam informationem a te factam, te beneficium pacifice possidere, vel patrimonium vere, & realiter obtinere; cum tamen contrarium te ipsa contingat plures Doctores, etsi Episcopum eximant ab obligatione te alendi, te tamen in suspensionis poenam damnant. Sic Suarez disp. 31. sect. 1. n. 33. Et segg. Sanchez lib. 6. de iuratum. disput. 32. n. 8. in fine. Bonac. 8. de Sacram. qu. unic. post. §. n. 24. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 9. c. 10. n. 7. & alij plures apud ipsos. Mouentur: quia in cap. Neminem & cap. Sanctorum, est imposita poena suspensionis ordinantis sine titulo. Sed illi textus non sunt reuocati quoad hunc casum per cap. Cum secundum Apostolum, de praebendis, cap. Si Episcopus, eodem tit. in 6. Praedicti enim textus loquuntur casu, quo Episcopus conscius est carentia tituli, & ob culpam in tali ordinatione commissam obligatur ordinatum alere: non vero loquuntur, quando falsis probationibus ordinatori persuaderetur adesse titulum: cum tamen nullus sit. Ergo huiusmodi casus remanet dispositioni iuris antiqui, dicti cap. Neminem, & cap. Sanctorum, quibus ordinatio sine titulo suspensionis poena imponitur. Secundo, affirmat Suarez si sub hac falsa informatione impetres litteras dimissorias ad Ordines, & virtute illarum promoueris, incurre te suspensionem impositam ordinari sine dimissoriis: quia illae dimissoriae nullae sunt; quippe sunt subreptitiae, ex falsa causa obtentae, alias non concedendae. Tertia, inquit Suar. sic promouus recipis Ordinem futiue: siquidem illum recipis contra voluntatem dantis. Ergo saltem incurris suspensionem impositam in c. de eo, qui fuerit Ordinem suscipit.

6. Caterum, in praedicto casu te nullam suspensionem incurtere, tamen grauisime pecces, probabilis existimo cum Henric. lib. 13. de excommunicatis. cap. 37. numer. 2. Auila §. de censur. disput. 5. dub. 4. concl. 2. & dub. 5. concl. 1. Toler. lib. 2. cap. 48. numer. 18. Sayro de censur. lib. 4. cap. 14. num. 16. Gonzalez in reg. 8. Cancall. gloss. §. 10. num. 22. Et Garcia 2. p. de benef. cap. 5. a n. 22. Ioann. Gutier. tract. 97. lib. 2. q. 65. mem. 11. Cenedo colleg. 37. ad decret. Barbol. de herd. de Castro, Sum. Mor. Pars IV.

potest. Episcop. alleg. 20. n. 27. & aliis pluribus ab eisdem relatis, testantibusque a sacra congregatione esse decilum. Ratio est: quia pro praedicto casu nullibi habetur, impositam esse suspensionem, aliamve poenam. Nam textus in cap. Neminem, & cap. Sanctorum 70. dist. quibus Doctores oppositum opinantes nituntur, expresse loquuntur, quando ordinatus quis fuit sine titulo, sciente ordinante: siquidem sic promotus suspenditur in iniuriam illius, qui eum ordinauit, vt dicitur in cap. Decernimus 16. q. 7. Et licet in cap. Sanctorum, absolute dictum sit, ordinationem sine titulo irritam esse habendam: explicandum est iuxta rextum praecedentem, scilicet, quando est facta cum consensu, & scientia ordinantis. Quod non leuiter colligitur ex cap. Cum secundum Apostolum de praebendis, vbi Innocent. III. mentionem fecit illorum antiquorum Canonum; siquidem inquit: Licet praedecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur, in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint, &c. Ergo vique ad Innocent. III. manifeste constat, suspensionem latam in illos, qui sine titulo promouentur, latam esse in iniuriam ordinantium, ac proinde ordinantes scientes fuisse illius defectus, Ergo de praedicto casu nullus textus loquitur. Adde, etsi caput, Neminem & cap. Sanctorum, suspensionem imponerent omnibus ordinatis sine titulo, siue sciente siue ignorante ordinatore, derogata sunt per textus in cap. Cum secundum Apostolorum, de praebendis, & cap. Si Episcopus, eodem titul. in 6. vt constat ex illis verbis: Non autem benignius agere cupientes.

7. Solum difficultatem ingerit Trident. sess. 21. cap. 2. de reformat. quod vt euitet fallacias, & deceptiones illorum, qui variis artibus, & fallaciis confingunt beneficium, vel patrimonium habere, decernit, ne quis ad factos Ordines promouetur, quin prius legitime constet, beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat pacifice possidere, vel patrimonium, aut pensionem vere ab eo obtineri, antiquorum Canonum poenas super his innovando. Ergo innovantur poena latae aduersus eos, qui variis artibus, & fallaciis beneficium, vel patrimonium habere confingunt. Sed haec poena nullae aliae sunt, praeter suspensionem contentam in cap. Neminem, cap. Sanctorum, 70. dist. Ergo promotus sub hac fallacia poenam suspensionis incurrit?

8. Respondeo, Concilium renouare poenas latas aduersus illos, qui promouentur, quin legitime constet, neque respectum sit, beneficium, vel patrimonium sufficiens habere. Quando autem testibus, etsi falsis, probasti patrimonium habere sufficiens, iam legitime constat, vere a te obtineri, ac proinde aduersus te nullae poena innovantur: quia nulli tibi erant latae. Quod si initio illius capitis dicatur, plures esse, qui variis artibus, & fallaciis confingunt, se habere beneficium, vel patrimonium; non obinde inferitur, aduersus quemcunque confingentem renouare poenas, si nulla poena statuta erant, sed solum inferitur, inde motum esse Concilium ad statuendum, ne vllus deinceps ordinetur sacris, de quo prius non sit respectum, vere patrimonium obtinere. Vnde, si quis absque tali examine, & probatione promouetur, aduersus illum innovantur poena latae in cap. Neminem, & cap. Sanctorum. Adde, etsi sub nomine antiquorum Canonum non tam contenti in libro decretalium, quam in decreto, veniant, id intelligendum est, quando praedicti Canones in decreto contenti abrogati non sunt. Abrogati namque non sunt censendi innovare, nisi clare exprimat: quia non sunt canones, nec leges, cum per abrogationem e canone, & lege cessauerint. Quapropter solum videtur Concilium innovare poenam statutam in cap. Cum secundum Apostolum, aduersus ordinantem: siquidem maximam vim Concilium facit, ne aliquis sine speciali delectu promouetur, & quin legitime constet, & prius perspicitur, &c. Quae omnia ad ordinantem pertinent. Neque obstat, sub nomine plurali poenas appellasse, cum tamen vnica sit: saepe enim Textus numero plurali pro singulari videntur, iuxta illud: Et latrones conuiciabantur ei, cum tamen vnicus solus ei conuiciatus fuerit. Praeterea, satis probabile est, in praesenti decreto Trident. non innovare poenas latas in cap. Neminem, & cap. Sanctorum, neque in cap. Cum secundum Apostolum: sed poenas latas in cap. Per tuas, & cap. Si quis ordinauerit, de simonia, vbi suspensio absoluta ab Ordine imponitur ordinato: ordinanti vero imponitur suspensio per triennium ab Ordinum collatione. Cum enim Concilium prohibuerit, ne beneficium resignetur, neque patrimonium, ad cuius titulum qui est promotus, alienetur, & facta prohibitione statim subiungat: Poenas antiquorum Canonum super his innovando, videtur solum innovare poenas latas aduersus eos, qui beneficium, patrimonium, vel pensionem, ad quorum titulum sunt promoti, alienant, resignant, aut remittunt ex pacto prius facto cum ordinante.

vel præsentante ad Ordines, nullam ab ipsis sustentationem expostulandi.

9. Ex his solum est primum fundamentum pro sententia Suarez adductum. Ad secundum pateat, illas dimissorias eo titulo impetratas fore subreptias, ac proinde nullas; sed non obinde incurris suspensionem impositam iis, qui promouentur absque dimissoriis: quia absolute cum dimissoriis tui Episcopi promoueris, esto, inualida sint: oportebat enim, ad hanc suspensionem nullas ab Episcopo dimissorias obtinere: quia negatio omnia excludit. Alias, si fictio patrimonij satis est hanc suspensionem incurrendam, eò quòd dimissorias subreptias reddat, etiam fictio morum, & generis sufficit: siquidem Episcopus, cognita veritate, nullo modo dimissorias concederet. Quapropter ob huiusmodi defectum existimant Auila 3. part. de censur. disput. 5. ad 3. & Henriquez lib. 13. cap. 37. numer. 2. non contrahi suspensionem impositam promotis absque dimissoriis. Ad tertium nego, ob prædictum, defectum, te recipere Ordinem futiuè: siquidem es promotus ab Episcopo, qui te agnouit, & ad suscipiendum Ordinem approbavit. Ad futiuam autem ordinationem requiritur, vt procedat ex ignorantia omnimoda personæ, vt contingeret, si sub nomine alterius te ordinandum intrmitteres; cum tamen nec vocatus, neque approbatus esses.

10. Illud verò longè probabilius est, si patrimonium habeas sufficiens ad victum, acceptum tamen sub onere, & obligatione reddendi donatori, te non contrahere vllam suspensionem: quia dici non potes promotus absque titulo, cum verè illius patrimonij dominium habeas, sicuti notarunt Tolet. lib. 1. c. 48. vers. 15. Garcia 2. part. de benef. c. 5. n. 161. Barbol. alleg. 10. n. 30. esto, contra teneant alij relati à Garc. n. 135. & Barbol. supra.

11. Ad extremum aduerte, supradicta procedere spectato iure communi, & Tridentino: ac spectata constitutione Vibani V III. edita 11. Decembr. anno 1604. quæ incipit, *Secretis æterna providentia*. Hispani, Lusitani, Galli, Germani, alique vltimontani promoti in Italia sub falso patrimonio suspensionem Sedi apostolicæ referuatam incurruunt, vt constat ex dicta Bulla, ibi: *Promoti verò absque litteris dimissorias recognitis à Nuncio, vel Collectore, vel Vicario Summi Pontificis in urbe, perpetua, suspensionis poenam, absque spe dispensationi à Sede Apostolica obtinenda incurrant eo ipso. Insuper promotos huiusmodi, aut etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonij titulis scilicet ad huiusmodi Ordines promoueri fecerint non solum prædictis: verum etiam maioribus arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis afficiendos poenæ, &c. Et notauit Bonacina disputatione 8. de Sacramento, quæstion. unica. punct. 5. n. 21.*

P V N C T V M XIII.

De temporibus Ordinationum.

1. Prima tonsura quolibet die, & hora conferri potest. Minores quolibet die Dominico, vel festiuo, modo ne sit generalis ordinationis.
2. Item, in quatuor temporibus.
3. Maiores Ordines quo die.
4. Consecratio Episcopi Dominica die.
5. Interstitia quæ sint seruanda in Ordinibus minoribus, & ad maiores ascensu.
6. Quæ ab Ordine subdiaconatus ad diaconum.
7. Item, à diaconatu ad presbyteratum.
8. Duo sacri Ordines eodem die nemini, etiam Regulari, conceduntur.
9. Quis locus sacris ordinationibus conueniat.
10. Graues Doctores censent, priuilegia Religiosorum Prælati concessa dispensandi in interstitiis, & extra tempora, esse per Tridentinum reuocata.
11. Prælati Societatis prædicto priuilegio gaudent, non obstante dispositione Concilij.
12. Satis contrariis.
13. In aliis Religionibus esto, communiter censent Doctores, reuocata esse priuilegia dispensandi extra tempora, & interstitia, probabile est non esse reuocata.
14. Quæ poena sit imposita promotis, & promouentibus extra tempora, & non seruatis interstitiis.

1. Prima tonsura quouis anni tempore, qualibet die, hora, & loco conferri potest, vt ex omnium sententia, & consuetudine recepta tradunt Henric. lib. 10. c. 12. 1. Valq. disp. 246. c. 5. initio Barbola alleg. 11. n. 19. Laym. tr. 9. c. Ordine, c. 8. n. 1. Bonac. disp. 8. de Sacram. q. v. p. 6. n. 1.

2. Minores Ordines quouis die Dominico, vt dicitur in Pontificali Romano, vel quouis die festiuo conferri possunt aliquibus, non multis, ne generalis appareat ordinationis. Habetur c. De eo de temporib. Ordinat. & tradunt relati Doctores.

Diem festum intelligit Villalob. tr. de Sac. Ord. diff. 17. n. 6. quem Clerus officio duplici, vel semiduplici celebrat ex quadam declarat. Clem. V III. facta Ioann. de S. Clemente Archiep. Compostell. Sed rectius Vuald. in Cand. aur. 1. p. tit. de Sac. n. 35. vers. Tertia concl. Azor. 2. p. inf. mor. lib. 1. cap. 27. quæst. 19. Barbol. de pot. Ep. alleg. 11. num. 18. existimant sub die festiuo non esse intelligendum, quem Clerus celebrat officio ecclesiastico; sed, quem Clerus, & populus celebrat sub præcepto: quia in communi acceptione dies festus dies feriatu appellatur: secundum quam præsumitur Pontifex locutus. Quinimo Gl. in c. Sanè. de temp. Ord. vers. Ad sacros. non quocumque dies festos, sed solennes credit intelligendos: & Syluest. Ordo, n. 6. præcipuos: sed immerito, cum Alexand. III. in d. c. De eo. solum expostulauerit, diem festiuum. Quapropter opus non est, vt dies festus vniuersalis sit: sufficit, si in ea diocesi vt talis habeatur: quia absolute est dies festiuus, vt bene alius relatis. Barbola de pot. Episc. alleg. 11. n. 18. Præter diem Dominicum, & festiuum, minores Ordines conferri possunt sabbatho quatuor Temporum, & sabbatho ante Dominicam Passionis, sicut & maiores. Item, ex recepta consuetudine feria sexta in vespere, minores conceduntur: quia illa censetur lichoatio generalis ordinationis in sabbatho peragenda, & conueniens dispositio, vt maiori cum sollempnitatibus maiores sabbatho celebrentur, vt docuit Henriquez lib. 10. cap. 12. §. 2. Layman. tractatu 9. de ordines, cap. 8. num. 1. Barbola allegat. 11. num. 17. Quinimo feria quarta quatuor Temporum habere Episcopum porestatem conferendi Ordines, ex communi consuetudine, & præxi, testantur Henriquez Layman. Barbola loc. alleg. Emman. Sà Ordo, num. 13.

3. Maiores Ordines nisi in sabbatho quatuor Temporum, & sabbatho ante Dominicam Passionis, & Resurrectionis conceduntur, ex textu in cap. De eo. de temporib. ordinar. & cap. fin. 75. distinct. & Trident. sess. 23. cap. 8. Quique conferendi sunt tempore Missæ, vt colligitur, tum ex consuetudine, tum ex cap. Quod sicut de electione. Permittitur autem Episcopo, vt ordinationes sabbatho faciendas ad sequentem Dominicam traheret ex causa aliqua rationabili: qualis esset, si ob infirmitatem, vel ob multitudinem ordinandorum sabbatho non potuit Ordines peragere. Debent tamen, tam ipse, quam ordinandus, ieiunium sabbathi præcedens continuare: ob hanc enim ieiunij continuationem ordinationes factæ die Dominico retrahuntur ad sabbathum, & quasi in sabbatho factæ reputantur, vt docuit Glossa in cap. Quod à Patribus 75. dist. Henric. lib. 10. c. 12. num. 2. Suarez tom. 5. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 41. Laym. tract. 9. de Ordine, cap. 8. num. 5. Villalobos difficult. 13. num. 2. Ex quo fit, nullatenus permissum esse Episcopo diaconatus, vel presbyteratus Ordinem concedere die Dominica ei cui sabbatho antecedenti subdiaconatus Ordinem contulit quia conferretur duos Ordines sacros eodem die conferretur quod, vt dicimus, prohibuit: & notauit Laym. tract. 9. de ordine, c. 8. n. 5.

4. Pro consecratione Episcopi dies Dominica ex Ecclesiæ consuetudine designata est, vt colligitur ex cap. Quod die 75. dist. & tradunt omnes. Solum est dubium, an, si die Dominica promotus fuisse in Presbyterum; vel, quia priuilegium suscipiendi Ordines extra tempora habuisset; vel quia ieiunium sabbathi antecedentis continuatum est: possit in Episcopum consecrari. Suar. disput. 31. sect. 1. num. 41. existimat, id fieri non posse, eò quòd duplici Ordine sacro nequis eo die insigniri. Id ipsum docuit Barbol. alleg. 5. in fine. Sed communis sententia, de qua Abbas in cap. Litteras. de temporib. Ordinar. Glossa verbo, Sabbatho in cap. Quod à Patribus 75. dist. contrarium firmat: quia consecratio Episcopi non reputatur Ordo distinctus: sed sacerdotio: sed illius pertinetio, & complementum, ac proinde non potest comprehendendi sub prohibitione cap. Litteras. & cap. Dilectus de temporib. Ordinat. ne eodem die duo sacri Ordines alicui conferantur.

5. Temporum interualla, seu interstitia constat in Ordinibus minoribus non esse ex necessitate seruanda: sed arbitrio Episcopi remittitur à Trident. sess. 23. cap. 11. Quare poterit Episcopus, vel ob consuetudinem receptam, (si forte adest,) vel ob aliam rationabilem causam, primam tonsuram, & Ordines minores vno die eadem conferre, vt tradunt Henric. lib. 10. cap. 11. num. 4. Barbol. allegat. 11. numer. 13. & segg. Valq. disp. 246. cap. 5. Villalob. difficult. 12. numer. 1. Laymann. tract. 3. cap. 8. numer. 6. Ab Ordinibus autem minoribus ad maiores ascensus nemini